LIBER PRIMUS

Principis Arcturi,

24 Y. 10.38

(Quem decem Libris comprehensum

Anglicano carmine heroice concinnavit vir Clarissimus

Richardus Blacmorus,

Eques Auratus.)

Latine redditus.

A *GULIELMO HOGÆO.*

LONDINI, Anno. Dom. 1700.



125.04

AD

Nobiliſſimum, Illuſtriſſimumque

THOMAM,

Comitem *Pembrokiæ* & *Montgomeriæ*, Honorificentiſſimi Regiæ Majeſtatis Concilii Secretioris Præſidem, Equitem Periſcelidis, *&c.*

MULTI fortaſſe rogaturi ſunt, quæ cauſa fuerit, cur ego primum hunc Librum Principis Arcturi (quem in decem libros diſtributum Autor præclarus

rus & honorificus magna cum elegantia Anglice edidit) Latine tranſtulerim. Certe Autorem præclari illius operis raro vidi, & rarius fui allocutus, nec ejus juſſu uni hujus libelli particulæ manum fui admolitus. Sed ut hunc laborem impenderem inductus fui ſuaſu & rogatu Reverendi Epiſcopi Sariſburienſis, viri doctrina longe illuſtriſſimi, & in omni eruditionis genere exercitati, eoque libentius, quoniam vir ille præclariſſimus meam Miltoniani Paradiſi Paraphraſin eſſe aliquid putavit. Sed cum circumſpicerem cujus Patrocinium huic novo fœtui implorarem, tui ſubibat Dynaſta Nobiliſſime atque illuſtriſſime cui jamdudum innotui, & qui multis me humanitatis & benignitatis officiis ſæpi fuiſti proſecutus: Spero equidem hunc libellum, ut qui laudes invictiſſimi Magnæ Britanniæ Regis Gulielmi Tertii ſub jucundis

Alle-

Allegoriarum involucris concelebret, tibi fore acceptiſſimum, quandoquidem tu Regi Gulielmo es longe acceptiſſimus. Paucis antehac annis Rex in Pace cum Rege Gallo facienda te ſibi legatum elegit primarium, quod munus honorificum tu magna cum ſolertia & diligentia & incorrupta fide obiviſti, & in Angliam reverſus pacem diu optatam multa cum laude tecum reportaſti. Tu quanquam ſublimi e Procerum ſanguine es procreatus, tua tamen virtute tuis majoribus præluxiſti. Ac propterea Rex, ut tu qui omnem Proavorum tuorum gloriam laudum tuarum fulgore præradias, illorum etiam dignitatem novo honore ſuperaddito tranſcenderes, te creavit Equitem Periſcelidis, quæ dignitas eſt Regali proxima & ſimillima. Rex enim prudentia & perſpicacia pene Angelica præditus, eſt juſtus virtutum tuarum æſtimator: Tu enim

enim doctrina & eruditione es inter proceres eminentiſſimus, Pietate in Deum, benignitate in egenos, humanitate in omnes & ad animos hominum conciliandos morum ſuavitate a faſtuoſa arrogantia abhorrentium admirabilis. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti te diu ſervet incolumem, & benedictionibus tum terrenis tum cœleſtibus abunde benedicat.

Sum Servus tibi devotiſſimus,

GULIELMUS HOGÆUS.

LIBER PRIMUS
Principis Arcturi
LATINE REDDITUS.

NUnc; ſtimulante animo jamdudum, horrentia Martis
Arma, virique cano juſtiſſimo facta Britanni.
Ille ad ſanguinei natus crudelia belli
Munera, natali procul à regione, periclis
Obſeſſum ſibi rupit iter; vaſtoſque labores
Suſtinuit, donec fato redeunte benigno
Dilectas iterum Patriæ remeavit ad oras,
Inſula ut abſentis luctu modo mœſta triumphet,
Libertas ut pulchra throno reddatur avito,
Saxonicique jugi abrumpantur vincla Britannis.

Muſa mihi cauſas memora, cur dirus Averni
Regnator, furibundus, atrox admoverit omnem
Vim Stygiam, Stygioſque dolos, ut regna Britanni
Opprimeret, celebres lachrymis turbando triumphos?
Adjiceretque Animos hoſti, & terreret amicos?
Cur ſævis accenſa odiis Inferna Poteſtas
Principas auſa foret generoſi obſiſtere cæptis?
Lucifer ambitione furens, dejectus Olympi;
Sedibus, Angelicæque alto de Culmine Sortis,
Merſus erat Stygii tenebroſo in Gurgite Regni,
Mors ubi & impietas habitat, Luctuſque perennis.
Obrutus hic Stygio permiſtis Sulphure Flammis,
Speque carens, vindictæ inhiat, Bellumque minatur.
His ubi conſultis Infernus apoſtata Mentem
Applicat, ecce, favet Fortuna immanibus auſis.
Vaſtus Campus erat, lateque incultus, ubi olim
Nondum Elementa Deus finxit, nec amabile Lumen

Præbuit

Præbuit, antiquæ tenebroſa ſilentia Noctis.
Decretum Ætherei tenuere palatia Cœli,
Orbis Regna novi, quæ priſtina neſcilt ætas,
Hujus in Immenſi medio exoritura profundi.
Atque hic Rerum Opifex nuper formaverat Orbem,
Quem fore ab æterno quondam decreverat ævo.
Atque habitare Viro dederat paulo ante creato,
Illum ubi cuncta, ſed ille Deum reverenter habebat.
Tractibus in Pulchræ fœlix habitabat Edenis,
Plenus lætitia, divino Numine plenus.
Ac totum Natura penum deprompſerat illi,
Immenſiſque ſuis opibus cumulavit abunde.
Ergo Furore tumens devictus Apoſtata, fixos
In nova Regna novi tacite direxit ocellos
Principis, inque ſuas illum ſeducere Partes
Tentat, & haud vanis Hominem petit artibus, ore
Seraphico, blandæque domat dulcedine Linguæ.

Heu meſere deceptus Homo de ſedibus altis,
Decidit, atque polo ſubiit ſcelerata relicto
Jura Stygis. Domito tunc vaſtum dirus Adamo
Lucifer Imperium magna ditione tenebat.
Donec pacificus Cœli regnator & Hæres
Tractus Elemoſynes Lachrimis Precibuſque ab Olympo
Labitur, Humanum redimit genus, edomat Orci
Robora, Tartarei rumpit juga dura Tyranni.
Luciferumque ſuas facit examare catervas,
Et Sceptrum extorquet manibus, tunc cogitur atræ
Rex Stygis Ætherei domino ſuccumbere Regni:
Gentibus expulſo cultu atque antiſtite Divum
Vanorum, divini oriens lux aurea Verbi
Regna humana tenet, Populos dominatur in omnes
Relligio, palmaſque novas, lauroſque recentes
Quotidie gerit illa manu, gerit illa capillis.

Moxque Albioniam, ſuperans vada vitrea, Terram
Attigit, Æthereis circumſtipata catervis.
Et procul ex illis pepulit Regionibus Umbras,
Pallentes Umbras Erebi, Noctemque profundam.
Fudit & Ætheream per Regna Britannica Lucem.
Hac veniente, fugit Stygii Rex dirus Averni,
Cultibus atque ſuis vacuus cultoribus, & ſe
Continuit gelidæ campis glacialibus urſæ,
Donec Saxonidæ Terram invaſere Britanniam.
Octa ferox iterum deſtructas illius aras
Ædificat, Lucoſque novat, reparatque veteſtos.
Ut vani rediere Dei, dudum ante fugati,
Atque Sacerdotes avidi, lugere Britannus
Incipit, & miſeris reſonat Regnum omne querelis.
Protinus Arcturi victricibus obſtitit armis
Dux Stygius, cunctiſque nigri ſe viribus Orci

Inſtruit

Inſtruit. Hujus enim felix ſi forte coronet.
Exitus arma, ſuo Paganis Littore pulſis,
Saxonico imperio Stygium pereunte trophæum.
Noverat eſſe ſimul ruiturum, iterumque Britanna
In ſua Regna procul ſeſe Regione fugandum,
Relligione ſuas iterum reparante ruinas.
Vix e conſpectu Terræ Borealis in altum.
Vela dabant læti, & ſpumas Salis ære ruebant.
Sublimeſque Domorum apices, atque ardua Terræ
Linquebant, cum late oculos circumtulit altos
Lucifer Auſtralis ſuper alta cacumina rupis,
Cycladis in medio circum labentibus Undis,
Vectanæ, penetratque truci procul omnia viſu,
Arcturi aſpiciens velari claſſibus Æquor
Blanda ſerenati riſit Clementia Cœli,
Velorumque ſinus venti implevere ſecundi,
Dulcis Elemoſynæ, bonitas, ſpes læta, ſaluſque

Hic

Hic illic niveis nunc findunt aera pennis,
Nunc per vela canunt, & nunc per ſuppara luduńt.
Hæc cernens oculis jaculatur Apoſtata Flammam
Trux, & in immenſum rabido livore tumeſcit.
Talia tunc ſecum.

Nonne mihi veteris ſuper anrea ſydera belli
Tempore prima data eſt ſedes, Regimenque ſuperbum;
Milite cum innumero circumdatus undique geſſi
Prælia, concuſſique Polum auxiliaribus Armis:
Cum varii coiere duces mihi Fœdere juncti;
Ipſe ego cum eximio laudum ſuccenſus amore
Explicui Ætherei turmas ſuper æquora campi
Igniferas, cupiens diadema acquirere bello,
Os humeroſque Deo ſimilis, validiſque lacertis?
Ante alios longe Imperio, Fulgore, periclis
Primus ego, validis duce ſub Michaele catervis

Ob-

Obſtiteram, Michaele, alium cui tota caterva
Nullum adverſa parem furto vel fortibus Armis
Unquam habuere. Novis venientibus undique turmis
Objeci caput impavidum, firmiuſque remanſi,
Dum circumſiliunt, dum ſpargunt me undique rores
Sanguinei, Æthereoque cruor cum pulvere miſtus
Seraphicus linit ora mihi, vultumque colorat.
Noſtra niſi Ætherea conſtaret Fabrica maſſa,
Et firmata labore manus, mens artibus eſſet
Inſtructa Angelicis, tanti in diſcrimine Belli
Vulneribus Cheruborum eſſet ſatiata potentum
Mors fera, vaſtaſſetque polum, turmæque periſſent
Sydereæ. Michaeli ingenti vulnere fixo
Congredior tandem, atque Æterno robore ſtringo,
Præcipitemque ducem Angelicæ mea dextra catervæ
Sedibus Æthereis in Regna Inferna dediſſet,

Ni velox Uriel hæc ad ſpectacla tremiſcens
Æthereas ſpectácla plagas quæ horrore replebant,
Irrueret præceps, raperetque ex impare pugna,
Viribus exhauſtis hoſtes dare terga parabant,
Ceſſiſſentque throno noſtris victricibus armis
Æthereo, quem bella petunt; ſed Regis Olympi
Filius Omnipotens turmas in bella recentes
Intulit, atque iterum Michaeli amiſſa recepit.
Nonne ſteti impavidus, quanquam majoribus impar
Viribus, ante alios vindex quem dextra petebat.
Ecquid corde tremens manifeſta pericula fugi?
Aut caput objectare rotis victricibus ejus
Extimui? Retrove pedem faciemve repreſſi?
Ferrea telorum cum pectora noſtra foravit
Tempeſtas, Nemeſis divinæ tincta veneno.
Chryſtalli Ætheriæ cum ingentia Saxa volabant

Robore ſerapici valido librata lacerti?
Auxiliumne tuli ſubito, præcepſque cucurri,
Flammeus imber ubi cecidit, tonitruque tremendum
Inſonuit? Tandem, fateor, majore ſubactus
Robore lapſus eram, at famam labendo perennem
Nactus eram, Stygii licet atra in ſede barathri,
Vix ſero domitus cogor ſuccumbere dextræ
Numinis ætherei, æternis & cedere fatis.
Ex illo Stygii Princeps atque arbiter Orci
Dicor, ab hoſte novi imperium quoque ſubtraho mundi.
Verum æterna dei ſoboles pene omnia rurſus
Rettulit. Octa tamen mihi rurſum hanc cyclada pulchram
Reſtituit, domini redigens ſub jura vetuſti.
Mene igitur tantis celebrat quem fama Trophæis
Per Styga, per ſuperos miſero ceſſiſſe Britanno?
Meque meoſque fuga cogi dare terga ſecunda?

An

An mea magnificis ſpoliabit templa triumphis?
Et ſpolia alta ferens magni per inania mundi,
Ibit ovans plauſuque virum, fremituque ſecundo?
Carmine quiſquam igitur me tanquam numen adoret
Præterea? Aut ſupplex aris imponat honorem?
Faſtum magniloqui ni forte retundo Britanni,
Qui nunc æquoreas perſultat claſſibus undas,
Et niſi quæſitam multo mihi ſanguine ſedem
Defendo, arma domans armis hoſtilia noſtris?
Hæc ubi dicta dedit, celſo petit aſtra volatu
Inque plagas Urſæ gelidas, Boreamque nivalem
Tendit iter, torquet furor illum atque anxia cura,
Cedentemque ſecat pernicibus æra pennis.
Sol ut ab Orbe ſuo vaſti cum flumina volvit
Luminis, & ſubito noctem tenebraſque repellit,
Spicula, quæ roſeo radiorum jactat ab ortu

Protinus occiduæ ſpatiantur ad ultima metæ,
Tranſmiſſo vacuæ quod utrumque interjacet auræ.
Haud aliter qui nunc tenebrarum & noctis opaçæ
Rector, at ante fuit lucis, fecat aera pennis.
Cycladas, æſtiferi ſpatioſa volumina ponti,
Sylvarum immenſos tractus atque horrida teſqua
Tranſvolat, excelſique apicem petit ille Fieli,
Æthereis inſerti aſtris, qui cætera vincit
Omnia Laplandæ montana cacumina Terræ.
Thorus ubi reſidens, (ſors hæc obvenerat illi)
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Inter & indomitos gerit hic diadema tumultus.
Inque aliis vacua penitus cultoribus aula
Multi diverſo ingenio, firmo ære ligati
Stringuntur. Vaſta hic compoſta eſt gaza vaporum

E Terræ aerias ſcandentum viſcere in auras,
Unde imbres, ventique, nives, lapidoſaque grando
Proveniunt. Hic monſtra novas reſonantia pennas
Ut ſumpſere, ſuo volitant in carcere circum.
Hic Euri ingentes effundunt gutture voces,
Rauciſonoque noti volitant cum turbine, cunctis
Sævior hic aliis rabioſo murmure ventis,
Perſonat incluſus Boreas in ſede nigranti.
Ad factas adamante fores ſtant ardua, montes,
Culmina, ſtant gelido concretæ frigore rupes
Undarum ingentes, ſeptenis molibus auctæ.
Robore quam ſonitu venti majore furentes
Turbinei, dum perpetuos agitantur in orbes
Præcipiteſque ruunt, indulgenteſque furori.
Eque cavis certant aditum reperire cavernis.
Thorus at iſte cavum converſa ut cuſpide montem

In

In latus impulerit, venti velut agmine facto
Huc illuc ſine lege ruunt, vaſtoque ſonore
Horrida monſtra maris vincunt, fremituſque leonum,
Et quæcunque feræ in vacuis ſpatiantur arenis.
Hi per plana volant, & campos turbine perflant,
Pulvereamque trahunt deſerta per arida pallam;
Illi celſa petunt, ſtructaſque in montibus altis
Evertunt Sylvas, atque ab radicibus imis
Aerios vellunt pinos, deſertaque vaſtant.
Æquoreaſque petunt alii non ſegnius undas,
Atque per æſtiferi ſpatioſa volumina ponti
Altiſono ſtridore volant, & fluctibus urgent
Littora, & ex imo tolluntur ad æthera fundo.
Aſt omnes iterum, Thoro revocant, ſileſcunt
Mox, & in antiquas properant remeare cavernas.
Ad quem tum ſupplex his verbis Lucifer infit:
Princeps magne, tibi dedit inviolabile fatum,

Et

Et mulcere maris fluctus, & tollere vento.
Cuncta marina tibi parent, tua numina adorant,
Te mercatores ventis implere ſecundis
Vela, ſacerdoteſque tuos ditare precantur,
Ad te confugio, & ſupplex tua numina poſco.
Princeps mente ferox Octæ mihi regna fidelis
Nunc bello tentare parat, Terræque Britannæ,
Siqua fata ſinant pulchris me expellere ab aris
Nititur. Immenſis conſtravit claſſibus æquor,
Sanguineiſque potens armis, numeroque virorum.
Spe[illegible]ntem hæc Octam trepidum pavor occupat ingens
Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes,
Aut age diverſas, & disjice corpora ponto,
Aut ſaltem hunc agitans portu depelle petito.
Sentiat ille tuæ ſit quanta potentia dextræ.
Deque tot ac tantis Cœli Terræque mariſque

Poſce

Poſce bonis aliquid, nullam vereare repulſam.
Princeps magne, refert Thorus;
Qui regis imperiis Acherontia regna ſuperbis,
Cui cuncta Infernæ parent diadémata ſedis,
Tu quodcunque jubes; mihi juſti juſſa capeſſere fas eſt,
Tu mihi Sceptra meo donas vibrare lacerto.
Tu ſuper aſtra Poli noſtras in prælia turmas
Duxiſti, impavidaque thronum tu mente petiſti
Æthereum, ſedemque dei quaſſare paraſti.
Hæc tua facta oculis ego vidi ingentia fixis,
Et comes uſque fui, divinis donec ab armis
Fugimus, avertitque ſuum victoria greſſum.
Languidus ille tuus fulgor, tua vulnera ſæva,
Vulnera, quæ tuleras duri in diſcrimine belli,
Sunt oculis formoſa meis: majore ſubacti
Robore decidimus Cælorum a culmine celſo.

Præ-

Præcipites in regna Stygis, fulmenque cadentes
Obruit horrisonum simul & vis horrida venti
Turbinei, & rapidæ fervens violentia flammæ.
Posthæc ductor eras tamen invadentibus Orbem
Hunc vastum, quem nunc belli nos jure tenemus.
Teque favente mihi magna hæc Provincia sorti
Obtigit, atque meæ fuerat concredita curæ.
Hæc ait, & foribus stridenti cardine ahenis
Claustra revulsa adimit; subito tunc murmure vasto
Una Eurus Boreasque ruunt, totumque furenti
Æthera tempestate replent, cursuque Britannam
Tellurem petiere suo, quodque alluit æquor
Regna Britanna novis turbant vexantque procellis.
Horriferis pennis tumidos ad sydera fluctus
Percutiunt, placidisque senam de sedibus urgent
Oceanum, tollitque undas sublimis aquæ mons.
Et mare nunc spumis canentibus astra lacessit,

Et nunc Tartarei ſubſidit ad ima barathri:
Uſque adeo ut Stygias fulgor Phœbæus ad umbras
Deſcendat, trepidentque immiſſo lumine manes.
Lumina ſed ſubitis alte demiſſa tenebris
Lucem intercipiunt; obſcuræ noctis & umbræ
In medium venere diem; tonitruque tremendo
Regia ſyderei dirumpitur ardua Cæli,
Diraque ſulphureæ jaculantur lumina flammæ.
Temporis & certo ſpatio Natura tremebat
Horrendo labefacta metu, Munduſque revulſus
E regione ſua eſt obliqui ad lumina Phœbi,
Diverſoſque Polos ſolito diſtantia major
Dividit ira, pavor, terror, trepidique tumultus
Horrificant variis ſpectantum lumina formis.
Hæc chaos antiquum videt, exultatque videndo,
Riſit & antiquæ dirum & lachrymabile nocti.

Vulſa etenim tanto Naturæ membra tumultu
Concidere horriſono poſſe omnia victa fragore
Sperabant, tantæque horrenda ſtrage ruinæ
Imperium rurſum omne ſuum ſibi poſſe reverti.
Nautarum altiſonus clamor, fremituſque trementum,
Fractorum & ſonitus malorum, atræque procellæ,
Aureſque horrificans tonitru, & totum Æthera rumpens;
Præſentem illa viris intentant omnia mortem.
Tum pius Arcturus luctu atque horrore repletus,
Attonituſque imoque trahens a pectore vocem,
Talia voce refert: O magni Rector Olympi,
Cur hodie tantis mihi tu terroribus inſtas,
Qui pia bella gero, clauſa ut tua templa recludam,
Auxiliumque tuis propero jam afferre miniſtris,
Qui me ſolliciti circumſtant ſupplice vultu?
Si tibi forte libet crimen revocare vetuſtum,
Præteritum & meritis peccatum plectere pœnis,

Dimitte innocuos, pete me, Pater alme, tuoque
Confestim hoc detrude caput sub Tartara telo.
Me me oro liquidi, Pater, obrue gurgite Ponti,
Atque hæc una tuam nunc victima leniat iram.
Sed læta redeat cum pace Britanna juventus.
Hæc ait, atque suis ejus ratis armamentis
Nuda, suoque carens moderamine, classe per undas
Dispersa, in bibulas impulsa incurrit arenas.
Atque ea dum Terræ & Maris in regione geruntur,
Splendidus, ecce, Uriel Rectori carus Olympi,
Deserit Ætherei radiata Palatia Regni,
Atque, jubente Deo, delabitur Æthere celso
Auricomi radio Phœbi suspensus in auris.
Pax alma in placido reverenda & gratia vultu
Splendet & annorum numero non læsa juventus.
Forma Deo similis, faciés dulcedine tanta
Fulget, amore sui ut Naturam attraxerit omnem.

Con-

Conſtitit in Gobei ſublimi vertice, Cœlum
Qui circumfuſum ſtupuit ſibi luce coruſca
Flammantis Cherubi, citharam qui pollice docto
Tangit, in Æthereis fuerat quæ nota choræis.
Protinus altiſoni ponunt ſua murmura venti,
Attonitique ſtupent, arrectiſque auribus aſtant:
Dæmones aerii, qui ſera in nocte vagantur,
Luduntque in tonitru, delectanturque procellis,
Facta nube fugam rapiunt nigrantibus alis;
Et redit alma dies, facies nec lurida Cœli eſt.
Sævaque monſtra Maris ceſſant ululare, recedunt
Ventorum inſani ſtrepitus, pontumque relinquunt,
Compoſitis requiem pollint ut carpere pennis,
Atque in Laplandis placide dormire cavernis.
Sed ſoli remanent zephyri, mollique flabello
Sylvam agitant, placido ſtringentes læta ſuſurro
Flumina; at Oceanus jam tempeſtate fugata

Ridet,

Ridet, aquas lenit tumidas, ſternitque cubile
Cæruleum. At placidum taciturna ſilentia pontum
Cum tenuere, ratem, quam ſæva illiſit arenis
Tempeſtas jubet Arcturus jam linquere fixam,
Atque in naviculis vicinam accedere Terram.
Eſt in ſeceſſu longo placidiſſima ſedes,
Undarum horriſonis ubi turba impulſa procellis
Confugium inveniunt, procul & clamore profundi
Securum capiunt, nullo turbante, ſoporem.
Molliter hic ſtratæ recubant ſub rupibus altis,
Arboreiſque comis ſævi procul impete venti.
Puppes hic minime tuta in ſtatione quieſcunt,
Murmuraque horrificæ rident clamoſa procellæ.
Ergo huc adveniunt, portum & tetigere petitum,
Ad Cœlumque ſuas tollunt prece ſupplice palmas
Æthereum, unde ſibi auxilium veniſſe ſciebant.
Et tuti a ventis, undis, ſcopuliſque manebant.

Vento-

Ventorumque minis, tot mortibus, ante oculos quæ
Spectandas variis ſeſe exhibuere figuris.
Tunc Cœlum implorant vultuque & voce precanti
Ut procul avulſos blande tueatur amicos.
Jamque in rupe ſedens, Arcturus lumina volvit,
Proſpectum & late Pelago petit undique, ſi quem
Forte ex amiſſis ſpeculari poſſit amicis.
Sed fruſtra intentis oculis ſpeculatur in alto,
Nullus amicus adeſt tam vaſti in gurgite ponti.
Deinde reverſus ait:
Numinis Æterni certe veſtigia abyſſus
Sunt vaſta, humanum longe ſuperantia captum.
Qualia namque thronum circumdant Ætheris alti,
Talia divinum late moderamen obumbrant
Nubila nigra, vias nulla ratione repertas
Carpit, & obſeſſas tenebris & nocte profunda.

Tam

Tam vaſtos trahit ille gradus in tramite cæco,
Sic in ſe ambiguo ſua per veſtigia gyro
Fertur & hic ſaxis altaque voragine greſſus
Dirigit obſeſſos, hic alta cacumina montes,
Hic præceps immane oculos horrore tuentum
Terrificat; ratioque ſequens veſtigia, torpet
Languida, nec comitare poteſt non paſſibus æquis.
Conſilia Omnipotens adeo ſublimia volvit,
Limitibus certis, omnique carentia fundo,
Ut genus Angelicum celſa de ſede trementes
Reſpiciant vaſti ſpatium tam immane profundi.
Ipſe aliquando ſibi contrarius eſſe videtur
Omnipotens, ſua cæpta ſuis opponere cæptis,
Sed quocunque ſui flectit moderamina clavi
Conſilia & mediis ubi promovet inconcinnis,
Eventum miracla dabunt majora capitum.

Interdum

Interdum ille ſua quos ornat imagine ſervos
Curarum ſinit ipſe ſuos in gurgite mergi.
Sed quæcunque tamen fato patiuntur acerbo,
Hinc patefit via certa bonis adituſque futuris.
Terra Britanna ſuis lachrymis precibuſque vocavit
Huc nos, in mediis tutam ut ſervare periclis
Poſſemus gelida lethi de fauce revulſam.
Sumpſimus arma, throno rurſum ut reddatur avito
Relligio, Chriſtique omnes ſe fundat in oras
Imperium; non nos dominandi inſana cupido
Induit his armis, Stygio ſed robore victo
Ut Cœlum ſua ſacra, homines ſua jura reſumant.
O revocate animos, firmato pectore, neſcit
Cœleſtis vindicta ſuæ ſe opponere cauſæ
Hæc mala divini minimè ſunt ſigna furoris,
Juſtus enim Divum Pater eſt, vos crimine puſi
Hæc noſtra eximii decorabunt arma triumphi,

Ducet ad optatam ſalebroſa hæc ſemita metam.
Hæc mala dura etiam poſthac meminiſſe juvabit,
Lætitiamque dabit magnam meminiſſe labores
Præteritos, priſciqne augebunt gaudia luctus.
Talia voce refert, curiſque ingentibus æger,
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Lætitia miſtoque metu tunc fronte ſerena
Omnes ille jubet poſitis accumbere menſis,
Ut victu revocent vires tot caſibus hauſtas.
Languida tum arboreis proſtrati membra ſub umbris,
Fructibus atque cibis, quos ſecum e nave vehebant,
Depellunt mala dura famis, relevatque falerni
Copia larga graves, quos ſuſtinuere, labores
Oceani in medio, turbantibus Æquora ventis.
Gaudia ſed majora cibis vinoque dederunt
Arcturi divina ex ore cadentia verba,
Accenduntque ſacris cunctorum pectora flammis.

Grandia

Grandia concepit, conceptaque voce profudit
Altiloqua decreta dei, prævisaque longis
Numine ab Ætherio docuit mysteria sæclis,
Atque Elemosynæ jus conciliavit acerbeum.
O quam sublimi eloquio scandebat in altum,
Divinam celebrando fidem, atque invicta per ævum
Æterni consulta animi! gazasque recludit
Immensæ bonitatis & immortalis amoris!
Hoc de thesauro Æthereo, de hoc fonte sacrato
Lætitiæ pacisque bonæ produxit amænum
Nectar & ambrosiam, mentes quæ morte carentes
Exhilarant, Cœloque locant, vitaque coronant.
Tempora tum humanæ tot casibus obvia vitæ
Comparat horrificæ, quam sustinuere, procellæ.
Omnibus hæc sunt nempe bonis communia fata:
Si sancti sua vela viri moderentur, ut alti

Perveniant ad regna Poli, portuque quieſcant
Æthereo, Styx arma capit, Cainique rebellis
Progenies in bella ruunt, pontumque procellis
Turba colona lacus Stygii vexare laborant,
Si qua fata ſinant aditum præcludere Cœli.
Una omnes ferus ardor agit vectoribus illis
Moliri interitum, & medio ſubmergere ponto,
Æthera terrificis vexant agitantque procellis:
Stat mors ante oculos variis horrenda figuris.
Nubila nigra diem altiſonis armata procellis
Nocte tegunt: Rapidi furioſo in turbine venti
Dæmones aerii ludunt, hilareſque jocantur,
Fulguribuſque micat late flagrantibus aer.
Flumina rauca crepant paſſim, tonitruque tremendo
Aura ſonat: clamorque virum, trepidique tumultus,
Vis, furor, ira, pavor tumefacto in gurgite regnant.

Et

Et nunc preſſa ratis Cœleſti pondere, ſcandit
Sydera, nunc Stygii deſcendit ad ima barathri.
Et medios inter ſcopulos atque inter arenas
Æquora vaſta ſecat tenebris horrentia nigris.
Sed tandem tranquilla dies, jam nocte fugata,
Turbida ſollicitis componit pectora nautis:
Pacificumque vident regnum, cum luce ſerena.
Hic portus intrant placidos, blandamque quietem
Accipiunt. Luctus abigunt jam læta priores.
Et mala quæ tulerant animis expulſa fugantur.
juxta antrum fuerat, quod duri in viſcere ſaxi
Ingenio Natura ſuo formaverat, umbris
Obductum arboreis, atque impenetrabile Phœbo.
Huc igitur Princeps procul omni a luce Britannus,
Vota preceſque Deo, & laudes offerre receſſit.
Hic cum rege Poli alloquiis ſe oblectat amænis,
Cumque illo precibus luctans, mirabile, victor

Evadit,

Evadit, precibus, quæ invictos ſæpe lacertos
Numinis Ætherei vinclis innectere poſſunt.
Mollibus & miſtæ lachrymis perſæpe perennem
Viribus indomitis exarmant fulmine Patrem.
Confeſtim levibus ſupplex oratio pennis
Mænia ſyderei Chryſtallina ſcandit Olympi,
Ætheriæque fores illi ſe ſponte recludunt.
Hæc dea vota ferens ſecum diverſa precantum
Omnipotentis adit ſecuro pectore vultum.
Illa poteſt letho damnatos reddere vitæ,
Juſtitiæque manu injecta ſervare rebelles.
Illa rotam Phœbi volucrem cum emenſus Olympum
Pene erat, Heſperiæ pendentem in margine metæ
Detinuit: ventoſque jubet ceſſare furentes.
Defunctos revocat vitalem in luminis auram.
Ejus voce ſuos requierunt flumina curſus,
Flammaque nativum poſuit devicta calorem.

Tanta

Tanta poteſt ſupplex oratio, quod bene novit
Arcturus: Dubiis ſemper ſe hanc rebus in arcem
Contulit. Ille ſuas dubio in diſcrimine belli
Conſiliis acies & fortibus inſtruit armis.
Spes tamen eſt illi longe in prece ſupplice major.
Dumque hæc in Cœlis, illa in tellure triumphant,
Prælia vix unquam geſſit nudata trophæis.
Jam latet umbroſæ taciturna in ſede cavernæ,
Illius ille Deæ ſacro inflammatus ab œſtro.
His princeps ſtudiis hæret dum intentus, ab alto
Æthere in arboreas tacite lux devolat umbras.
Arboribus novus horror ineſt, tantoque decore
Attonitæ trepidant, atque alta cacumina curvant:
Cum ſubito in terras delapſus ab Æthere, juſſu
Divino Raphael forma radiante coruſcus
Se dedit ante oculos Arcturi in luce videndum.

Gratia

Gratia & Æthereum pingit reverentia vultum,
Purpurat ora decus, non ulla effabile lingua.
Gloria tanta genas, oculos tam læta venuſtas
Ornat, ut Æternæ monſtret ſe a flore juventæ
Profluere ; atque humeris circumvolitabat in altis
Cærula læna Poli Ætherei de ſtamine puro,
Factaque Sydereis radiantia lintea telis
Artificum dextra ſuperorum in gramine campi
Explicita Empyrici, donec jam vincere poſſent
Sithoniam candore nivem, togajlonga fuerunt,
Quæ ſeſe ex humeris talos demiſit ad imos.
Aurum morte carens, nitidam quod lumine claro
Provocat Aurorem, jaculantes fulgura gemmæ
Genti Archangelicæ geſtæ, atque Oriente petiti
Æthereo nitidi pretioſa mole lapilli
Tegmina condecorant varios mentita colores,

Purpurea

Purpurea Auroræ de tincti lumine Cœli
Fragmine Sydeream circumdat cingula veſtem.
Hoc habitu apparens, radianti lumine & auris
Undique odoriferis totum compleverat antrum.
Atque ita voce refert, ſalve, mea cura, ſuperni
Cura Poli, huc tua me ſupplex oratio traxit.
Juſtitia, O Princeps celeberrime, Rector Olymyi
Te probat, & ſtabilis quæ ſigna oſtendis amoris.
Conſilia occulte tacito quæ in pectore volvit,
Te cogunt mala dura pati & tua vota morantur.
Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinet: non irrita præſtat
Cæpta tibi vel fraude ſcelus, vel robur aperte,
Eventum alma dabit Cœli indulgentia fauſtum
Has verus pietatis amor te attraxit ad oras.
Expectes igitur poſthac diadema Britannum.
Nunc pariter puppeſque tuæ pubeſque tuorum,

Quos modo in Oceano rapidæ vertigo procellæ
Sparſerat, Armoricis tuti potiuntur arenis.
Quamvis terrifica ſunt tempeſtate repulſi,
Æquoris evaſere minas naveſque virique.
Te Terræ applicuit ventus violentus Hoeli,
Hoſtes in medios, magna qui evertere opum vi
Te cauſam tuam, atque armis opponere certant
Arma tuis. Sed pone metus, inimicus Hoelus
Quamlibet accenſus Stygia inflammatur ab ira,
Poſt paulo horribilis fractus furor iſte jacebit.
Illius aulam igitur pronis pete greſſibus, illic
Conſiliis opibuſque tuis opus indigît ingens.
His dictis, petit expanſis altum Æthera pennis,
Præcipitatque fugam vacui par inania mundi.
Aerias findit nubes, tranſitque planetas,
Culmina Syderei ſuperans Chryſtallina Cœli,
Stelligeros lapſu celeri mox tranſvolat orbes,

Inque

Inque ſua ſacrum ante thronum ſtatione reſedit.
Sic abiit Cherubus, pariterque abiere timores
Arcturi: Procereſque hilari tum corde reviſit,
Lætitiamque novam verbis & voce miniſtrat.
Divino alloquio trepidantia pectora firmat,
Speque nova tactos animos in gaudia ſolvit.
Interea Stygiam ſubito glomerantur in aulam
Cætera cuncta ſimul Stygii diademata Regni
Imperio majore ſui collecta tyranni,
Conſilium & magnis Regni de rebus habebant.
Illorum Princeps faſtu tumefactus inani
Conſcendit ſolium radiis auroque coruſcum,
Quod micat horrifico miſtis ſplendore tenebris,
Qualia nocte micant ſævis incendia flammis,
Culmina perque hominum volvuntur perque Deorum.
Huic nox atra caput triſti circumvolat umbra,
Dum ſedet, & proceres circumſedere nigrantes.

Lucifer his insit.

Illustres Proceres, vacuique a morte dynastæ,
Cernitis ut juvenis facta ambitiosa Britanni
Concilii sit causa novi: nam quicquid habetis
Imperii subitis properat vastare ruinis.
Omnibus hoc vobis notum est, queis viribus auctus
Iile Albioniæ classes in littora Terræ
Dirigeret, cupiens mox octam invadere Regem,
Nostra superstitio cui sic vanissima cordi est,
Atque Sacerdotes nostris depellere ab aris.
Huic ergo insidiatus eram, Thorique faventis
Auxilio pepuli diversæ in littora Terræ:
Classis abacta fugit cæptis me obstante superbis,
Factus in Amoricis nunc naufragus errat arenis.
Ecce, fidelis ibi regalia vibrat Hoelus
Sceptra potens armis, nobis servire paratus.

Spiri-

Spirituum immortale genus, Stygiique dynaſtæ,
Qua ratione licet damnis majoribus illum
Afficere, & penitus totam ſubvertere ſectam?
Dicite, mente agitat ſiquis laudabile cæptum.
His dictis, furia atra ſuis de ſedibus exit,
Mortis & Inferni ſæviſſima mente miniſtra;
Monſtrum horrendum, informe, ingens, quod vultibus omnem
Undique terrificis Acheronta tremiſcere cogit.
Inque humeris tumidi macris repſere colubri,
Sibila qui trifidis dum fundunt ſtridula linguis,
Tota ſonant gelidæ tenebroſa palatia mortis.
Ferreus unguis erat, Dens ferreus; halitus oris,
Alta vorago velut, ſubito dedit obvia letho.
Et Stygiis jaciunt pejores lumina flammas:
Et flammam gladiumque trucem vox dira ſonabat.
Non vultus, non forma illi, nec certa figura eſt,
Nec diſtinctum habuit membris fera corpus Erinnys.

Crevit

Crevit in immenſum nigranti flumine venter,
Et vaſtum intumuit ſanctorum cæde virorum,
Quos pietatis amor Lethum contemnere juſſit.
Pars ejus protenſa fuit, pars preſſa reſedit,
Et revoluta in humum laxo ſe ſtravit acervo.
Monſtrum aliud deforme adeo, crudele, ferumque,
Et Styge deterius nigra unquam haud vidit Abyſſus.
Præ cunctis aliis metuenda horroris imago
Ante hac, innocuæ latuit ſub imagine formæ,
Hac viſa, livorque ferox, odiumque rubeſcunt
Vincere poſſe ſuos monſtra hæc informia vultus.
Illius furibunda ſitis ſpatioſa cruoris
Æquora, ab innocuæ venis manantia turbæ
Devorat: hos odiis petit implacata, nec Orbe
Vaſtato ſatiare ſuum queat illa furorem.
Tunc ſic ore refert furia implacata, dioxis,

En ego Tartarei Princeps ego dira barathri
Hoc opus aggrediar venerabile, Hoelia noſtris
Ignibus & Stygia ſuccendam pectora flamma :
Protinus illa, animo mea juſſa capeſſere prompto,
Conteret, (ecce patet facilis jam præda) Britannum.
Auſpiciis præclara meis eſt orta Neroni
Fama, & perpetuum diocleſianus in ævum
Vivit, ego ingenitum nutrivi in corde furorem
Amborum, atque mea mentes ab imagine finxi.
Illorum omnis amor noſtro procul igne fugatus
Pectoribus abiit, Eleemoſyneſque dolores :
Naturaque trucem, docui ſuperare furorem
Arte mea, celſumque odii conſcendere culmen,
Omnis ubi pudor, & bonitas procul exulat omnis.
Nec majore odio ſeſe Regna infera jactant.
Auribus immotis miſeros hi voce precantes
Audierant. Cordi cædes & dira tyrannis

His.

His fuerat. Sævumque & inexorabile pectus
Duritia rupes ſuperat, citiuſque furentis
Flamma ignis, vel peſtis atrox reſipiſcere diſcunt.
Tunc quoque Chriſticolæ noſtram didicere tyranni
ſævitiam, & multo macularunt ſanguine Sceptrum.
Afflavique pia rabie, zeloque furenti
Pectora, dira novæ docui myſteria fraudis:
Exercere novam vindictam ultricibus armis,
Præque odio domini fidos occidere ſervos:
Conciliare trucem divinis cultibus iram,
Sævitiaque ſacrum zelum miſcere maligna.
Et, duce me, ignotum didicerunt carpere callem,
Sanguine Chriſticolum, non ulla labe notato,
Chriſticolum placare Deum. Non ulla timoris
Crudeles tenuere manus, aut vincula amoris.
Neve ad ſe redeant tandem, & reſipiſcere diſcant

Nomine

Nomine mendaci docui appellare cruentam
Cædem, Eleemoſynen, placidam fera prælia pacem.
Dum ſtimulata meis ardebant pectora flammis,
Majorem exoſæ ſectæ peperere ruinam,
Quam Gotti furor armiferi, ſcythicæque Sagittæ.
Præſentem ipſa mihi debet Roma ipſa Decorem,
Atque Poteſtatem, & decoris monumenta futuri.
O quam præſtanti Ingenio Roma inclyta pollet!
Quam noſtra illa ſuam decoravit imagine formam!
Illi in corda trucem infundam ſpirando furorem,
Atque odium ſine fine ferox in ſemen Abelis.
Evacuat teneris mulgens hæc ubera labris,
Illius exacuo dentes, ungueſque figuro.
Alpibus in ſummis nubes æquantibus illam
Educo, Cerbereis ſolvo jejunia fruſtis,
Tartareo felle intinctis ſuccoque cicutæ,
Ut repleant vacuas generoſo ſanguine venas.

Tigrides atque Lupi rabidi, ſævique Dracones
Hanc circumſiliunt, acuuntque in vulnera dentes.
Ungue trahunt, & dente terunt, & voce minantur.
Illius in fauces ego primo in limine vitæ
Injicio infantes, horum bibit illa cruorem,
Atque tenella crepant longis ſub dentibus oſſa
Dilacerata, animum læta hæc ſpectacula noſtrum
Exhilarant, late imperium dum extendit Erinnys.
Ubera in hujus ego tam vaſta, animumque capacem
Flumina ſæpe nigri volvo ſpatioſa veneni.
Tunc avido ore bibit liventia flumina, & omnes
Per venas furor ardet atrox, inſania regnat.
Hanc, ubi jam validæ firmarunt corpora vires,
Rupibus ex altis deductam in ſede repono
Imperii, ſeptemgemino quæ culmine cincta eſt.
Se Caini antiqua monſtrabit origine naſci.

Facta cruenta ; Stygem redolentia, luce diurna
Illo & me genitos oſtendent clarius illos.
Si quando laicos multo mea cura labore
Traxerat, incæpto obſtiterant luctamina noſtro
Interna, atque odii nunquam tetigere cacumen.
Audebantque aliquid Pietas Naturaque contra.
Verum hi zelotæ, quos vaſto Eccleſia nutrit
Romana in gremio, multo magis arte benigna
Formata, & meliore luto præcordia geſtant.
Illi ſponte ſua cupide mea juſſa capeſſunt.
Et ſine me pergrata mihi, jucundaque præſtant.
Speſque meas ſuperant, nullo duce, votaque vincunt.
Martyrii quoties flamniis tua clara propago,
Roma, per innumeras accendet lumina Terras
Chriſticolum ? O quoties ridentes numen Olympi
Cæde atra madidas tollent ad Sydera palmas?

Illorum horriſonos tellus immenſa tumultus,
Mendacique ſacras lanienas nomine dictas
Audiet, & gladios ſanctorum cæde rubentes.
Tanquam his illa foret curarum maxima, totum,
Si qua fata ſinant, exſcindere ſemen Abelis.
Sæva rapina, truces gladii, flammæque furentes
Atque tribunal atrox ludoſque jocoſque miniſtrant
Quotidie. Humanum que genus tot peſtibus atris
Percutient, ut Sacra Eccleſia fiat Eremus.
Servire Inferno imperio eſt mihi tanta voluptas.
Ergo odii effugiet Princeps nunc iſte Britannus
Signa mei? Styx atra vetet. Sic ore locuta,
Conticuit. Proceres applaudunt voce faventes.
Protinus en Princeps tenebrarum pectore læto
Sede ſua exiluit, cupidiſque amplectitur ulnis
Hanc furiam. Illa igitur magis ira ardeſcit & omnem
(Tantoni oculis horroris ineſt) perterruit Orcum.

Con-

Contrahit exiguum ſpatioſum corpus in Orbem,
Et ſurſum tenebroſa volat per inania Regni
Tartarei, veluti magnæ quando arte ſagaci
Ignea tela parant urbes, ut gaudia monſtrent
Talibus indiciis, quoties fœlicibus armis
Parta mari terrave dedit victoria cauſam.
Aut ubi regalem cingit diademate crinem
Prima dies. Super aſtra volant ſtridentia flammis
Ignea tela, Polum ſonituque & luce pererrant.
Orbes Ætherei trepidant, curſumque morantur,
Attonitumve movent lento molimine greſſum,
Et ſolito citius lucem rediiſſe ſtupeſcunt,
Atque ignota ſuas hebetantia ſydera flammas
Surgere. Sic furia hæc ſtridentia ſibila fundit,
Aera pertranans tenebroſum, interque volandum
Horrida Tartareas jaculantur lumina flammas.

Cum vero attigerat radiantis regna diei,
Greſſus illa ſuos ad Hoeli dirigit aulam.
Conſtitit hic, ubi ſol ſeſe æquore merſit Ibero,
Noſtro & ſuppoſitum radiis penetraverat Orbem.
Omnia tum tenebris latuerunt obruta denſis,
Tanquam antiqua ſuæ Naturam horroribus umbræ
Obruerit nox, & priſci moderamina Regni
Jam rurſum acciperet. Tenebroſa ſilentia noctis,
Nocturnæque faces referunt imitamine pompas
Funereas: Antriſque latent ventique feræque;
Non illæ Sylvas, non hi maris æquora turbant.
Vulturibus præda excutitur, nec turtur ab ulmo
Jam gemit, atque ſuum gemitu teſtatur amorem.
Naiades aeriæ tenebroſo in tempore noctis
Jam tacitas ducunt choreas, pedibuſque notantes
Tellurem, manifeſta pedum veſtigia linquunt.

Aut pede præcipiti rorantia paſcua verrunt.
Occultas narrare neces nunc umbra ſepulchris
Exit, & occultas ſibi quondam oſtendere gazas.
Aera terrificant vario phantaſmata viſu,
Aut varia humanas ſomni ſub imagine mentes
Ludificant. Furia atra Almani induta figuram,
Pontificis quondam Odini, ſic viſit Hoelum:
Namque Sacerdotis forma eſt aptiſſima reges
In rabiem ſtimulare, & atrocem cædis amorem.
Sic mutata ſuam (tali valet arte) figuram,
Incipit, en multos ego nunc, O Hoele, per annos,
Quos egi, ſtudioſa fui reſcindere ſectam
Chriſticolum. Atque tuum præclaro hoc cædis amore
Inſtimulavi animum, nec dum tibi priſtinus ardor
Ceſſat. Ab Elyſiis, florent ubi gaudia, regnis,
Ut majora meam narrem quæ gaudia mentem.
Nunc capiant, capientque tuam, mihi crede, redivi.

Arcturus,

Arcturus, mihi, proh! merito exſecrabile nomen
Imperium famamque ſuam dum extendere ſperat
Claſſe viriſque potens formoſam invadere tentat
Terram Albioniam, ſed iniquo ſydere læſus
Colla inviſa tuis præbet captiva catenis.
Nam tonitru & vento huc vaſtis & fluctibus actus,
Fregit in hac ſtatione ratem, afflictuſque pererrat
Cum ſociis hæc regna ſuis, miſerandus & exſpes,
Triſtibus exhauſtus prope caſibus, omnium egenus.
Fata ſiniſtra tamen damna huic majora minantur,
Sed tibi præclarum decus hoc famamque reſervant.
Hunc vita ſpoliare tuum eſt hoc nobile munus,
Ut tibi contingat Stygiis par gloria divis.
Sic horum pariterque tuum ſubmoveris hoſtem,
Sic pacem potiere bonam, ſuperiſque placebis.
Hac tu Chriſticolis minime ratione nocebis.

Sponte

Sponte ſibi tormenta vocant, gaudentque moriri.
Omnes martyrii cupiunt geſtare coronam,
Inſiliuntque animis ardentem ardentibus ignem.
Non ideo jura & legum veneranda poteſtas
Frangitur. Horrificas ipſi ſibi ſponte ruinas
Accerſunt, vitamque putant occurrere morti.
Hanc remove, qua jam eſt Eccleſia nixa, columnam,
Totaque tecta trahent ſubito confracta ruinam.
Hunc defenſorem fidei modo ſubtrahe, vulgus
Omne dabunt ſua ſponte jugo ſervilia colla
Per ludum atque jocum potes his abrumpere vitam,
Mox pereunt, queis relligio eſt obſtare nocenti.
En tibi jus hoſtis ſuperi tribuere, placebis,
Si vita hunc ſpolies ipſi, ſuperiſque tibique.
His dictis, animam illa ſuam inſpiravit in ejus
Pectora, & extemplo venis furiale venenum
Omnibus ille bibit, traxitque per oſſa furorem.

Et Stygio tumidum ferveſcit flumine pectus.
At furia atra ſuam denſato ex aere formam
Diſſipat, & tenues fugitiva receſſit in auras.
Nuncia grata ſuo ſub corde revolvit Hoelus
Attonitus, procereſque ſibi turmaſque curules
Juſſit adeſſe, diem quamprimum Aurora reduxit.
Tantus amor laudum & capiendæ gloria prædæ.
Et jam prima novo ſpargebat lumine Terras,
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Scandit amica, ſuæ rediviva crepuſcula flammæ
Arridens piceas noctis diffundit in umbras,
Hoſpitium quæ victa ſuum concedere Phœbo
Cogitur, atque nigris tacite fugit obſita turmis.
Ut Leo, declivi cum Sol cadit Æthere, ſurgit,
Et ſtimulante fame, prædæque cupidine tactus
Diſtendit ſeſe & vaſtos attollit hiatus,
Atque ungues acuit, ſævaſque in funera fauces.

Stat

Stat circumſpiciens, irataque lumina volvens,
Incitat, & ſævæ ſtimulat ſe verbere caudæ.
Per ſylvas monteſque ruit, per nuda colonis
Arida teſqua, ſonans vaſto grave murmur hiatu.
Atque ſuper denſas, umbroſa cacumina, fagos
Attoniti trepidant venti, leviterque ſuſurrant.
Non audent ululare lupi, ſed lumine torvo
Molliter incedunt, ficto ſua corpora ſomno
Proſternunt Lynces, tuguri ſub culmine paſtor
Occulitur, mortemque ſubit formidine mortis.
Haud aliter ſævis furiis accenſus Hoelus
Mente avida ad madidas feſtinat ſanguine menſas,
Horrida portendit tetricis frons aſpera rugis,
Seque furore ſuo, Arcturum ſpe devorat, atram
Progreditur ſpirans mortem, at mox, ecce, diei
In medio divina manus vi corripit illum.

Apparet Cœlo nubes tenebroſa ſereno,
Ac dum verticibus ſuperimminet, ecce per auras
Cœleſtes ſonuere lyræ cum carmine vocum,
Æternum celebrante Deum, quod voce canebant
Æthereas inter choreas queis prima canendi
Palma datur, ſacrum quibus inſpiravit amorem
Omnipotens, cunctiſque bonis cumulavit abunde:
Hæc miranda ſuis ſociis comitatus Hoelus
Lætitia plenus videt, atque his applicat aurem,
Demiſſæque Polo ſcenæ ſpectacla ſtupeſcit.
Nubes rupta vomit Cœleſtis fulgura flammæ,
Et nitidum radiorum imbrem, & ſuperantia Phœbi
Fulgorem, & fragiles hebetantia lumina viſus.
Formoſam glomerant tempeſtatem imbre coruſco
Collecti ex alto radii, ruit Æthere toto
Pulchra procella, trahens nimboſæ flumina lucis:
Et ſubito præceps in Hoelum decidit; ille.

Vol-

Volvitur in caput, excutiturque e ſede tremiſcens,
Et tanto oppreſſus radiorum lumine mordet
Flammiferam proſtratus humum, pulchræque ruinæ
Mentis inops & corde tremens in ſtrage recumbit.
Tum vero e Cœlo tenui vox blanda ſuſurro
Venit, & e mediæ prorupit viſcere nubis,
Et ſic attonitum trepidumque affatur Hoelum:
In me cur furor iſte tuus gerit arma rebellis?
Quæ tibi cauſa fuit, miſer, inſatiabilis iræ,
Qua me & qui mea jura colunt vexare laboras?
Ætherei decreta Poli non irrita reddis,
Vis tua vana, odiique tui non ulla poteſtas.
Non potes invalidis fatum expugnare lacertis.
Te contra in præceps prono rapit alveus amni,
I-procul aut mox perpetuis mergere ruinis.
O qui ſis igitur dicas, reſpondet Hoelus,
Spiritus O ingens, & quæ tua certa voluntas?

Dic age, ſi juſto me a tramite devius error
Abduxit, quæ tuta via eſt? ubi recta capeſſam?
Vox divina refert:
Chriſticolarum, odiis quos tu petis uſque cruentis,
Sum Deus: Ergo meum ad famulum tu dirige greſſus
Arcturum: Ille ſuæ eloquiis & flumine linguæ,
Quæ credenda tibi, quæ ſint facienda, docebit.
Spectacla aufugiunt, procerum ruit undique turba,
Attonitumque ab humo miſerans attollit Hoelum.
Ille igitur graditur, cupidus reperire Britannum,
Nec ſua, ſed decreta Poli præſtare cupiſcit.
Anxius ille animi miranda hæc viſa revolvit,
Imperio juſſiſque Poli parere paratus.
Dumque hæc ille ſuis narrabat viſa Dynaſtis,
Protinus accelerant formoſæ ad limina Condæ.
Interea Arcturus, cui vox Raphaelis amica
Spes dedit indubias, animoſque reſumere juſſit,

Pro-

Progreditur, verum ille ſuos præcedere greſſus
Legatis mandata dedit, quo exploret Hoeli
Ingenium, & mores procerum, quos aula tenebat,
Ut ſibi conſilium fama comperta miniſtrent.
Eligit ante alios, queis tanto in cardine rerum
Præcipue expediat talem committere curam;
Pollandrum impavidum, Rodericum corde fidelem,
Et Galbum, indubios dubiis in rebus amicos;
Quanquam hæc rara avis eſt, regum & pene exulat aulis.
Vix & Hoelus adhuc, animo pietate novato,
Urbem ingreſſus erat, pariter cum protinus illuc
Legati adveniunt, aditum mora nulla tenebat
Ejus in aſpectum, & facilis data copia fandi.
Tum vero aggrediens tali ſermone Britannos,
Magnus Hoelus ait, veſtri ne Principis ulla
Anxia cura animum vexet, neque pectora turbet.

Nuncia

Nuucia ab Æthereo prius advenientia regno
Gaudia letæ mihi peperere, illique ſalutem.
Pectus amore meum lumen Cœleſte replevit
Antiquumque abigens odium, fraudemque repellens.
Magnanimo ſic ergo duci mea reddite verba:
Cui ſervit Deus, ille Deus me reddit amicum
Ex hoſte, & medii rapit illum e fauce pericli.
Et propero, ut cupidis prenſum complectar in ulnis.
Omnibus ergo ſui monumentum & pignus amoris
Dat nitidos auro gladios, pulchroſque tapetas.
Donat & Arcturo jaculantem fulgura currum,
Fulgura Phœbææ lumen duplicantia Flammæ.
Currum hunc alipedes traxerunt gentis Ibere,
Primus & Eurus erat generoſi ſanguinis autor.
Acribus exultant animis, ſuntque inſtar equorum,
Phœbæos ſublimi agitantum in tramite currus,

Cærulex

Cæruleæ in regione plagæ qui ex æquore Eoo
Æquor ad Heſperium radiatam lampada ducunt.
Auro terga nitent, oſtra, rutiliſque tapetis,
Auratos etiam ora terunt ſpumantia frænos.
Accelerant, animiſque alacres pia gaudia lætis
Arcturo præſtare pio, pacemque laborant.
Talibus interea dictis doniſque Britanni
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Haud aliter reliqui Joſephum vivere nati
Narravere Patri, & regalem degere vitam,
Divitiis opibuſque & feſta pace virentem,
Præſidium Phariæ firmum, columenque coronæ.
Hæc ſimul atque ſenis trepidas fama attigit aures,
Flumina in attonitas volvunt ſe ingentia venas,
Lætitiæ ſub mole gravi ſubſidit, & illi
Vitam pene adimit Joſepho reddita vita.

Tunc timor anxiferus torrentia gaudia turbat,
Surgit ab ambigua tempeſtas horrida pugna.
Namque animi motus ſciſſi in diverſa feruntur,
Inque vicem nunc ille ferox, nunc ille triumphat.
Sic miſeris Patriarcha modis huc fertur & illuc,
Et paria in variis ſubit ille pericla procellis.
At poſtquam Pharias oculis videt ille quadrigas,
Affluxit vigor inde recens, animuſque revixit.
Diſcordes abeunt ſedato pectore motus,
Pax animo tranquilla redit, requiemque reducit.
En ego ſat felix, ait ille, en protinus ulnis
Joſephum amplectar cupidis, dein morte recumbam.
Sic pius Arctūrus, quamprimum hæc attigit aures
Fama, animo titubat dubia formidine tacto:
Gaudiaque in trepidas redeunt ſubitanea curas.
Incertoque animum nutat turbante tumultu.

Verum

Verum ubi dona videt præſignia lætus Hoeli,
Gaudia ſolicitam revelant ingentia mentem.
Et vacuo anxiferis penitus jam pectore curis,
Protinus ille novum amplecti properavit amicum.
Vertitur interea Cœlum & ruit Oceano nox,
Dum jubar, e Cœlis, umbra victrice, recedens
Depingit nitidis viridantia gramina gemmis.
Tunc redit Arcturus Divina ad gaudia, votis
Aſtra petit, ſacris aſcendit in Æthera flammis.
Mens intenta ſacris, divinum nutrit amorem,
Et Spem, præcipiens venturæ gaudia vitæ.
Atque oculis animi, luſtrat quæ gaudia vivi
Credimus & ſeclo fruimur poſt fata futuro.
Sic quoque jeſſiadæ quondam ſub nocte ſilenti
Gaudia lætitiamque dedit divina voluptas,
Gaudia regalem longe ſuperantia ſortem,
Et Sceptrum, & Diadema ſacrum, regumque triumphos,

Dum viles humili remanent in valle volucres,
Contentæque ſuis fundunt modulamina lucis,
Mens generoſa aquilæ celſis petit Æthera pennis,
Deſpectatque humilem ſublimi lumine Terram.
Arboreos ſpernit ramos, atque illa videtur
Ipſa videre ſibi ramos in nubibus altos.
Illuc urget iter, genus atque ignobile geſtit
Linquere, quas arbuſta juvant, humileſque myricæ.
Inferiora petat ſi forte cupidine prædæ,
Aerias mox illa domos, arcemque reviſit.
Nubila ubi regale caput denſiſſima condunt,
Securum a laqueis, quos callidus objicit auceps.
Sic homines pejore luto præcordia ficti
Pulvere gaudentes ſeſe in tellure volutant.
Ejus peſtiferi halantes a viſcere fumi,
Paſcunt horum animas turpi ſqualore repletas.

At pia gens, prognata Polo, ſublimia ſpirant,
Et ſibi ſuppoſiti calcant ludibria mundi.
Inflammati animo ſacraque cupidine rapti,
Regna coruſca petunt ſuperum, ſedeſque quietas.
Illic perpetuum degunt fœliciter ævum
Cœlitibus juncti ſociis, ridentque priorem,
Quæ vivos tenuit, Terræ inferioris amorem.
Hæc Terra, exiguo, quæ mole ſimillima colli eſt,
Non hos deliciis vanis, velut ante, venenat,
Nec pungit ſtimulis late undique circumfuſis.
Deridentque homines in regna ſuperba ſecantes
Hanc molem exiguam, fratremque invadere regni
Mœnia fraterni ſtudio mirantur inani,
Imperium ipſe ſuum ut ſpatio majore propaget.
Ceſpitis exigui properat Rex pellere regem
Per ſcelus atque nefas mente irrequietus avara.
Hæc dat cælitibus furibunda inſania riſum.

Vaſta

Vaſta mole globi igniferi late omnia luſtrant
Regna, per Æthereos volventes lumina campos.
Viſibus humanis pilula tamen eſſe videntur
Exiguæ. In vaſtis ſpatioſa mole planetis
Imperiis regniſque locus non eſſe videtur.
Haud ſecus illi animi ſupra radiantia vecti
Regna Poli, ſubjecta Soli ſpatium in breve Regna
Conſtringi minimumque trahi ſpeculantur in Orbem.
Alta tenent, tuti a laqueis, quos improbus hoſtis
Incautos ſtruit ante pedes: fumoque remoti
Telluris ſtrepituque æterna pace fruuntur.
Gaudiaque Ætherei carpunt ingentia Regni.
Talis & Arcturum rapuit divina voluptas,
Lætitiamque ſui exoptat durare receſſus.
Limina jam Eoi pulchre radiantia Cœli
Auroræ reſerata manu fulgente pateſcunt.

Aureas

Aureus egreditur vaſtis ſol viribus, alti
More gigantis, ubi celeris certamina curſus
Incipit. Ergo parant alacres prodire Britanni,
Obviam & ire novo cupide lætantur amico.
Cum vix dum Ætherei clivum ſuperaſſet Olympi
Præcipitem radiante rota Sol aureus, ecce
Protinus occurrunt alacres, & mutua læti
Gaudia concelebrant Princeps cum Principe juncti,
Tunc ſic Arcturum alloquitur lætatus Hoelus:
Qualiter in Lybicis qui languidus errat arenis
Triſte viator iter nimio ſub ſole, fatiſcit.
Stat circumſpiciens, atque anxia lumina volvens
Huc illuc, lymphiſque inhiat, perque arida teſqua
Exoptat ſaliente ſitim reſtinguere rivo.
Qualitur in rapidis agitatus nauta procellis
Cœli implorat opem, quoniam pia vota ſuperſunt,

Dum

Dum venti violenſque æſtus civilia bella
Suſcipiunt ; furit unda, neque audit navis habenas
In medio vexata Mari, per mille timores,
Mille modos inter lethi, nulla hoſpita cernens
Littora, nec tutos a fluctu & flamine portus.
Haud ſecus ipſe tuos cupiebam cernere vultus:
Oraclum tu nempe meum, tu ſola ſalutis
Es via, tranquillæ mihi tu das ocia pacis;
Tu quæ ſit via recta doces, dum tramitem oberro
Ambiguum in cæcis tenebris & nocte profunda.
Cum primum hoſtiles mihi cor traxere furores,
Intentoque tibi (referens horreſco) ruinam,
Numina ſacra, tuæ quibus eſt cuſtodia vitæ,
Accelerant, cohibentque manus, atque arma repellunt.
Ambobus parite Cœli indulgentia favit,
Avertitque tibi cædem, mihi crimina cædis.

Lumina

Lumina namque via in media radiantia noſtros
Perſtrinxere oculos, tantum ſuperantia Phœbi
Lumina, quantum alias Phœbus toto Æthere flammas.
Aſt ego pronus humi cecidi, cæleſtis in aures.
Vox venit, ecce, meas; facies tamen abdita manſit:
Cur mihi bella geris? tanto cur, vane, furore
Meque meoſque ferox & in exhorabilis urges?
Decreto Æthereo vanis conatibus obſtas,
Vis tua vana, furor fruſtra tuus irrita tentat.
Non potes invalidis fatum expugnare lacertis.
Adverſo trahis amne ratem, fruſtraque reſiſtis.
Flecte iter, aut ſubitis, miſer, immergere ruinis.
O qui ſi, igiturs trepido tum corde regeſſi,
Spiritus O ingens, & quæ tua certa voluntas,
Dic age. ſi juſto me a tramite devius error
Abduxit, quæ tuta via eſt? ubi recta capeſſam?

Vox divina refert :
Chriſticolarum, odiis quos tu petis uſque cruentis,
Sum Deus : Ergo meum ad famulum tu dirige greſſus
Arcturum, ille ſuæ eloquiis & flumine linguæ
Quæ credenda tibi, quæ ſint facienda docebit.
Conticuit paulum Arcturus, dein ora reſolvit :
Et Regem Armoricum verbis compellat amicis:
Conſilium æterni veneror mirabile regis,
Nos quod in Armoricas ventis agitavit arenas.
O quem fœlices iter hoc ſervivit in uſus,
Talem ut Chriſticolis ego nunc lucrarer amicum !
Divina en bo nitas nunc per miracula ſacro
Lumine magnanimi pectus luſtravit Hoeli.
Vento huc actus eram, & retinet nunc grata voluptas,
Sancta ſalutiferæ pandam ut tibi gaudia vitæ.
Cui Rex Ammoricus tali ſermone regeſſit ;

Dum Nannetenſem, Princeps, equitamus in urbem,
Inſtrue præceptis animum mihi, quæſo, volentem.
Hunc tibi præſcripſit Deus en tuus ipſe laborem.
Illius Ætherias leges & juſſa recludas.
Quos cultus, qualemque fidem Deus ille requirit?
Tum Princeps, eſt nunc quod te prece ſupplice poſcam;
Hoc certe aggrediemur opus, torpore remoto,
Promptius, ire tuos ſi per tua littora ſervos
Juſſeris, e noſtris aliquos ſi forſan amicis,
Poſt varios caſus, poſt ſæva pericula mortis,
Qualia multa Mari nautæ patiuntur in alto,
In tua regna adigens felix huc detulit error
Incertos quo fata ferant, miſeroſque & egenos.
Imperii nam forte tui gens irruet illis
Bella ciens, primaque videns conſiſtere terra,
Undique ut auxilio veniant, clamabit, agreſtes.

Aut variis ſubitos jaculantes puppibus ignes
Involvent uno igne ſimul naveſque viroſque.
Aut ferrata meis inducent vincula ſervis.
Ne pereant igitur ſubito exoriente tumultu,
Hos umbra defende tui, Rex magne, favoris.
Hæc præſtes benefacta mihi, lætuſque lubenſque
Parere aggrediar Cœloque tibique jubenti.
Cum ferrugineo nox obruit omnia velo
Heſterna, aerii ſpatioſa per æquora campi,
Obſtupui, ſteteruntque comæ, per cuncta cucurrit
Confeſtim ſacer oſſa furor, membriſque relictis
Mens evecta Polum levibus ſuperevolat alis;
Templaque ſacra iniit animis habitata beatis.
Hic oculis patuere meis, quæ dicere non eſt,
Et documenta meam ſunt inſtillata per aurem.
Hæc menti documenta meæ tibi poſſe dederunt

Cœleſtem

Cœleſtem monſtrare viam, & tibi prodere cultum,
Quem ſacrata dei mens atque æterna requirit.
Protinus ergo ſuos Princeps ad littora ſervos
Et portus properare jubet, qui damna repellant
Arcturo metuenda pio, miſeroſque Britannos
Humanis tractent animis, tutoſque benigne
In Sacrata ſui ducant penetralia Regis.
His Rex officiis Arcturi tractat amicos,
Qui nunc aggreditur pia juſſa capeſſere Regis.

FINIS.